

31. Ait Dominus ad moysen, Exod. 10. n. 1. Ingre-
dere ad Pharaonem, ego induravi cor ejus, ut fa-
ciam signa mea hac in eo: Magna expensione di-
gnissimum, cur Deus loquens cum Moysse multo-
ties repetat verbum, *Ego induravi cor Pharaonis*
Exod. 4. n. 21. cap. 7. n. 3. cap. 9. n. 12. cap. 10. n. 2. &
sic per sequentia cap. per decem vices reperies,
quod deus dixit Moysi: *Induravi cor Pharaonis*.
Nonne sufficiebat, quod semel dixisset; *induravi*
cor Pharaonis: ad quid toties reiteratur? Verba
quae deus dicebat moysi, ipse referebat ad popu-
lum, & ideo antequam Deus mitteret plagas, di-
cebat, *Ego induravi cor Pharaonis*; fuit quaedam
praeventio, ac cautela divinae providentiae, ne
Moyses cum videret Pharaonem tot flagellis obdu-
raturum radio afficeretur; & populus ne diffideret
de sua libertate, nec cogitaret Moyssem mentitum
esse in tantis promissis de suo exitu; sed intelligen-
tent totum esse ex divina permissione ad ostenta-
tionem suae omnipotentiae; & quanta mirabilia fa-
ciebat pro populo suo.

32. Abulenti. Abulenti, ad citatum locum Exod. 10. sic ait de
Moysse, *Praenuntiat hic Deus Moysi, quid futurum*
esset declarandum, ut non affligeretur radio, nam
Moyses toties signa fecerat coram Pharaone, & Pha-
rao liberatus fessellerat eum, nolens tenere sponsonem
quod Moyses radio affectus; & idem est de populo,
desperare posse deliberatione, ut credat ista de volun-
tate Dei procedere.

33. Valde, ac miro modo Deus pugnat pro bona opi-
nionem servorum. Cum amici Job vidissent eum
tot, & tantis calamitatibus oppressum male de ejus
probitate judicabant, deus ut eorum sinistram
mentem doleret, & Jobi integritatem ostenderet
non semel, sed bis ait eis; *Non estis locuti coram*
me rectum, sicut servus meus. Job. 42. num. 7. & 8.
Unum Verbum divinum sufficiens exitit ad crea-
tionem totius mundi, ipse dixit, & facta sunt. Joan. 1.
Ad propulsandum unum malum conceptum, tot
verba multiplicat Deus, & idem ad magis Jobi in-
nocentiam manifestanda addit n. 8. *Servus meus Job*
orabit, & faciem ejus suscipiam, ut non solum ver-
bo, sed experientia dicant virtutem Job quantum
patrocinium ab illa, ut exinde videant suas erratas
cogitationes. Gloss. Ordinaria ait, *Sententiam, quam*
semel iudicando dixerat, iterum repetendo confirmat,
atque manifestetur B. Jobi iustitia, amicorumque ejus
*injustitia demonstratur, ejus laus, eorum reproben-
sionem iterata voce depromitur, ut replicata foris appareant*
quam fixa intus habeantur.

QUAESTIO VII.

Quare morsus viperae in nullo laesit Paulum, nec
in corpore, nec in opinione?

34. EX naufragio venit Paulus in melitam insulam,
accendit ignem, ex quo vipera profluit, manum
momordit; unde incolae judicabant Paulum mul-
torum criminum reum; ipse autem citissime excus-
sit bestiam in ignem; ille vero in omnium oculis
illaeus, ac sanus visus est. Quid tunc ait Textus
Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil
mali in eo fieri, convertentes se dicebant esse Deum,
Unde ergo tam accelerata, ac subitanea mutatio?

35. Respondet D. Ambrosius in Hexamer. lib. 6.
cap. 6 & ait, *Paulum momordit vipera, & puta-*
bant eum quasi peccatorem vix de naufragio libe-
ratum veneno esse moriturum, sed postea quam in-

Dens multis depellit mala in opinione servorum.

Job. 42.

Joan. 1. Opinione sinistram de suis servis depellit.

Glossa.

Difficultas quaestionis.

D. Amb.

violabilis mansit excussam ignem vipera plus apu d
omnes generationis invenit: & si videretur Paulus
ex morsu viperae corpore, & fama laborare, cum
bestia immediate repulsa sit, nullum nocumentum
intulit nec corpore, nec fama, inde cum venenum
superasset, eum deum acclamarunt mala, quae cito
transfuerunt nullum inferunt nocumentum.

Ait Regius Vates Psalm. 18. num. 6. *Exultavit*
ut Gigas ad currendam viam, a summo Caelo egresso psal. 18.
ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus; Agit
Propheta de Filio Dei descendente de Caelo ad pe-
ragendum negotium nostrae salutis per spatium tri-
ginta trium annorum inter multas contradictiones
ac adversitates Pharisaeorum, inter multa tormen-
ta, & flagella, & in his omnibus, non solum di-
citur currere, sed etiam exultare, quod denotat
magnum gaudium, ac animi praevincendum, &
quoniam ratio exultationis poterat esse, in summa
paupertate vivere, opprobriis saturari, flagellis,
spinis, clavis, lancea caedi, ac percussis, ac Crucis
dolores, & angustias pati, & in his dicitur curre-
re, & exultare, quia in illis non erat permanen-
dum, sed brevissime transeundum ad supremam
majestatis gloriam, D. August. ibi ait, *Gigas exul-*
tavit ad currendam viam; natus est, crevit, docuit,
passus, resurrexit, ascendit, cucurrit viam, non ha-
sit in via. Cum ergo non haeret, sed brevi transiens
ad altissimos gloriae thronos, nihil idem abjectio-
nis contraxit.

QUAESTIO VIII.

Quisnam est iste Publius?

Ejus pater infirmabatur febris, & dysenteria.
Syriacus, dolore viscerum, quem Lyran. Lori-
nus dicunt esse fluxum ventris excoriatione inte-
stinalium.

Publius nomen Romanum est, & erat valde pri-
mas in Melita, & multum dives, & ita legit Ara-
bicis, *Primas illius insulae, & circum acentium op-*
pidorum, & opere hoc ostendit, ut naufragos n. 276
hospitio excepit, & per triduum benigne, ac laude
necessaria suppeditavit, ut ait D. Chrysof. hos om-
nes ibidem a Paulo baptizatos esse communis sen-
tentia est, & in Melita in aedibus Publii extare
templum D. Paulo consecratum;

Iste Publius creatus est Episcopus Meliten-
sis a D. Paulo, ut tenet Ado in Martyrolog. 21.
Januarii, & Beda 18. Januarii, & quod postea
creatus est Episcopus Atheniensis, & successit
Dionysio areopagita, videntur dicere Euseb. 4.
histor. cap. 20. Divus Hieronymus de scriptorib.
in Quadrant.

Act. 28. num. 11. Post menses autem tres
navigavimus in navi Alexandrina, quae
in insula hiemaverat; cui erat insigne Ca-
storum.

Versiones.

TERTIA EXPOSITIO
Usque ad vers. 14.

Verf. 11. Post menses autem tres, post quos per-
venimus ad insulam Melitam, cui in-
signe erat Castorum, Syriacus Geminorum, D. Chry-
sof. Castor, & Pollux de quo psequenti.

Verf. 12.

Versiones,

QUARTA EXPOSITIO
usque ad Vers. 20.

41. Verf. 12. *Venimus Syracusam*; praecipua in Sicilia
civitatem. Verf. 13. *Devenimus Rhegium*, quae est
civitas Calabriae circumvicina Siciliae, & venimus
Puteolos, civitas Campaniae juxta Neapolim.
Verf. 14. *Venimus Romam*, id est, circa Romam.

QUAESTIO IX.

Explicantur nomina in his versibus contenta.

42. **IN** signe Castorum erant duo juvenes effigati;
cui dabatur ovi pars dimidia, & jaculum in ma-
nu, & equus candidus, & stella supra capitibus im-
minente. Ita Lucanus, Significabatur hoc (ymbo-
lo geminos fuisse, Castorem, & Pollucem: finge-
bant Poetae Jovem Cygni formam induisse, & ex
eo Leda Tyndari Regis concepisse unum ovum, &
ex eo ovo prognatos fuisse hos duos geminos, cum-
que Argonauticam artem excolissent, & multos
hostes debellarent; post mortem inter Deos, & si-
dera relati sunt, caelestique signo vocantur *Gemi-
ni* & particulariter a nautis invocantur. Hi au-
tem in puppi affixi insculpti, ut tenet D. Chrysof.
Dicitur autem insigne Castorum desumpto no-
mine, a majori & seniori fratre.

43. Syracusa primaria Siciliae civitas valde illustri
praedicatione Pauli; ac martyrio Sanctae Luciae, ac
multorum aliorum; quos late refert Octavius,
Cajetan. Civitas valde pulcherrima, cita ad radi-
ces montis Pachyni. Affirmat Plinius lib. 2. cap. 62.
quod nullus dies est tam nubilosus, in quo in ali-
qua hora non cernatur Sol Syracusis, sicut & Rho-
di, uberrima fertilitate rerum, ac fructuum, illu-
strissima aedificiis, ac templis; ac quae ibi perve-
nisset D. Paulus a Mariano, quem paucis ante annis
D. Petrus Episcopus eo miserat, ab aliisque Chris-
tianis incredibili laetitia, ac gaudio exemptus est.
44. **Rhegium.** Lyranus cum villam vocat, sed est Ci-
vitas illustris Archiepiscopalis Calabriae nisi Gal-
lorum idiomate, Villam dicas pro civitate; sic di-
cta a verbo Graeco, quod est *frangere*, quia cum es-
set civitas continua cum Sicilia, & Barbaria, vi-
maris interrupta, ac divisa Strab. lib. 6. & Plinius
multa refert similia exempla lib. 2. cap. 88. & cum
ad ejus litus Paulus accessisset, concurrentibus ci-
vibus cepisset praedicare Evangelium, columna
fallorum Deorum subito successa est, quo viso
miraculo omnes susceperunt fidem Christi, ut ibi
communis traditio testatur Tyrinus in praesenti.

45. **Puteolos.** Civitas Campaniae juxta Neapolim,
quod indicat Syrus juxta Italiam, & valde illustri
Sancti Januarii martyrio. Inde maxime gloriantur
Neapolitani, quod ex itinere D. Paulus diver-
tit & venit. Neapolim. Dicitur Puteolos a puteo
aquarum liquidarum, & calidarum e venis sulphu-
reis ebullientium, ut ait Festus, vel ut alii con-
tendunt a multitudine puteorum earumdem aqua-
rum; a Samis condita ut vult Eusebius eo tempo-
re, quo tarquinii per Brutum sunt a roma expulsi.

Act. 28. n. 15. Et inde cum audissent fra-
tres occurrerunt nobis usque ad apii fo-
rum, ac tres tabernas, quos cum vidisset
Paulus gratias agens deo accepit fidu-
ciam.

Verf. 15. **CUM** audissent fratres, magnum erat
nomen Pauli maxime apud Roma-
nos, ad quos scripsit quandam epistolam, usque ad
Apia forum. Syriacus: *Usque ad plateam Apia*; teste
Plinio lib. 14. c. 6. erat in Agro Sitino, sic dicitur a b
Appio Claudio Consule, in quo erat ejus statua, &
ab his apud Romanos desumebatur nomen, v. g. ut
dicebatur *Forum Livi*, & aliud *Forum Julii* & si-
milia Arabicus legit, *Vicum Lancerarum*, forsitan
etiam habebat illud nomen.

Ac tres tabernas, qui locus nunc appellatur *sis-
terna*, quae urbecula est juxta Velurum patria Au-
gusti Caesaris triginta tribus millibus passuum dif-
tat a Roma, ut computat Baronius; quibus fratri-
bus visis, multam fiduciam, ac animum accepit
Paulus. Syriacus, *Confirmatus recreatus.*

Verf. 16. *Cum venissemus Romam*, permisum est
Paulo. Syriacus, *permisit Centurio, ut habitaret*
Paulus, quocumque vellet. Arias: *Ut maneret apud*
semetipsum; sua virtute, prudentia ac modestia,
tantam gratiam acquisivit Paulus apud Centurio-
nem.

Verf. 17. *Post tertium autem diem*, in quibus ut
ait Occumen. explanavit Paulus qualiter Judaei se
habent Romae, & quid contra eum apponbant,
convocavit plures Indaeorum. Syriacus, *Primores,*
& dicebat eis *nihil adversus plebem*, nullam com-
motionem, aut disentionem feci, ut falso eum ac-
culabant Judaei, Act. 25. *Aut morem Patrum* eum
non contradicebat.

Verf. 18. *Qui cum interrogationem de me habuis-*
sent. Syriac. *Nullam culpam mortis in me invenis-*
sent. Arabicus, *Qui me examinantes, & explorantes.*
aethiop. *Non invenerunt in me crimen.*

Verf. 19. *Convocatus sum Caesarem appellare*, quia vi-
debam judicem inclinatum in favorem Judaeorum
non quasi gentem meam. aethiopicis, *Non quasi di-*
spositus ad accusandos populares meos, nullo modo
habens in animo accusare gentem meam.

Verf. 20. *Propter hanc igitur causam rogavi vos*
videre ad manifestandam vobis meam innocen-
tiam & propter spem Israel, id est rem speratam, id
est, propter Messiam, quem Judaei expectabant, &
Paulus praedicabat spem esse completam secun-
dum omnes Scripturas, & vacuum omnino esse
spem, & propter hoc cetera haec circumdatus, sum
vinculus. Arabicus, *Ligatus.*

QUAESTIO X.

Quare D. Paulus per tot, & tanta regna praedi-
cans Evangelium Christi peregrinatur?

Paulus vocatus est ex gratia Christi ad ejus fi-
dem ac ad praedicandum ejus Evangelium; can-
dem gratiam volebat, in aliis resplendere, ut
omnes illuminarentur, & fidem Christi tenerent, &
praedicarent. Servo, qui debebat Domino suo mil-
ta talenta, Dominus illius miseris dimisit omne
debitum, postea exiens a facie Domini suffocabat
alium servum ad reddendum debitum ejus
quid tunc? *vocavit eum Dominus suus, & ait illi,*
Serve nequam omne debitum remisit tibi, quia rogasti
me, nonne ergo oportuit & te misereri servi tui,
sicut

O o 4

46.

Syriac.
Plinius.

Arabic.

47.

Syriac.

48.
Syriac.
Arias.

49.
Occum.

Syriac.

50.

Syriac.
Arabic.
Aethiop

51.
Aethiop

52.

53.

Math. 18. sicut & ego tui miseratus sum; iratus Dominus tradidit eum tortoribus, Matth. 18. n. 32.

Ex indulgentia Magnam quaestionem Palacius excitat, cur Dominus tam rigide damnat servum non remitentem debita debitoris; nulla enim lex, aut praecipuum obligat hominem remittere debita sui debitoris, si ergo nulla lex urget, unde tam severe, ac rigide iste damnatur. Eo nempe, Servo nequam omne debitum remisisti tibi, iste extitit aliquando servus, & debitor, & a Domino impetravit remissionis gratiam, ex qua indulgentia sibi a Domino concessa tenebatur similem conservo impertiri, ex cuius contemptu in aeternam maledictionem ruit, & cadit. Eusebius Emisen. ibi, Ecce dimissum est tibi debitum dimitte tu quoque debitoribus tuis, sicut & tibi dimissum est debitum tuum; quod si facere nolueris, expecta, quod sequitur, & iratus Dominus tradidit eum tortoribus.

55. Cant. 4. n. 5. Virgini Mariae dicitur Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae gemelli, ex maria uberibus unicus lactatus est Jesus, si ergo unius tantum erat, quomodo dicuntur duo? hoc totum faciebat Divinum mei Jesu ingenium, qui ut lac ex uberibus mariae sugebat, simul genus humanum adducebat, ut de hoc dulcissimo lacte participaret. Richard. Victorin in Cant. p. 2. cap. 23. & ait, Carnalia in te, o Virgo, Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia sucerem, sicut carnem nostram in te sumpsit, & Spiritum sanctum suum nobis dedit; cura materiale lac ex te Deus suxit, spiritualiter pariter filius Dei per te fluere capit. Simul ut Jesus in se suxit labia ad ubera mariae Virginis, simul & fecit ut nos de illo suavissimo misericordiae lacte gustaremus.

56. Mulier illa clamat, Beatus venter, qui te portavit. Luc. 1. n. 27. quae verba tractans Richardus a S. Laurentio lib. 2. de laudibus Mariae: Beatus (ait.) venter, qui te portavit, id est, quod ad nos te beatum portavit. Ad laudibus acclametur focus Mariae venter, quod vitam fructum filium non uni sibi retinuerit, sed nobis dedit ad salutem cunctorum.

QUAESTIO XI.

Quare Paulus videns fratres Romae multam fiduciam accepit?

57. Veniens Paulus Romam ait text. vers. 15. Multam fiduciam accepit, animo Syriacus, Confirmatus est, id est, recreatus aliorum societate, quae multum juvat ad recte, & bene agendum, ac ad recreationem animi. Dicitur Eccl. 4. n. 9. Melius est duo esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suae, ut si unus ceciderit, ab altero fulciatur; Va soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se.

58. Sic & Christus Dominus misit binos suos discipulos, Luc. 10. n. 1. quod expendens D. Ambros. in Psalm. 73. ait: Ad consolacionem, subsidium animi. Cardinalis Toletus addit, ad consilium, nam quamvis sacri discipuli essent valde eruditi in sacra Scriptura, ac vera doctrina, vult Deus ad nostrum documentum, ut unus sit alteri in consilio, & in hac consideratione? cum Deus mitteret Moysen instructum in omni sapientia Aegyptiorum, & cum magna potestate Deum Pharaonis constituere, associat ei fratrem suum Aaronem, Exod. 4. num. 28. Quod significare videtur Lippomanus.

Exod. 4. Apparens Deus parenti Eliae in monte Horeb.

praecipit ei, unges Elisaeum filium Sephat, qui est de Abelmeula, Prophetam per te, Reg. c. 19. n. 16. & cur Deus potius in hoc loco quam in alio ei dat socium Elisaeum? Cum Propheta esset; quaesitus a Domino, responderet illi, Relictus sum ego solus, & quaerunt animam meam, cum Dominus hac accepisset, non est passus suum prophetam esse solum & statim ei adhibet discipulum, qui relictis omnibus sequutus est eum.

Venit Christus Dominus ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, recusat Joannes responderi Christus, Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam, Matth. 3. n. 15. sive per iustitiam intelligatur obedientia, ut ait Abulens, sive humilitas, ut tenet D. August. omne opus iustum est sanctum quia omnis Sanctitas confertur, ut late dixi tom. 1. in Evangelia lib. 3. c. 2. q. 1. tamen quocumque modo sumatur, in ipsa iustitia adimplenda non vult Christus solus esse, sed secum in ministrum advocat suum Baptistam dicens, sic nos decet modo adimplere omnem iustitiam.

Act. 28. n. 21. At illi dixerunt ad eum: nos quoque litteras accepimus de te a Iudaea neque ad veniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est, quid malum de te.

Versiones.

QUINTA EXPOSITIO.

Usque ad Vers. 25.

Vers. 21. Nec locutus est, quid de te malum. Arabicus, Nullus retulit de te turpem sermonem.

Vers. 22. Rogamus a te audire, quae sentis de hac secta. Christianorum, in qua praedicatur Jesum esse verum Messiam, & iam venisse in salutem generis humani iuxta omnes prophetias, quae ubique ei condicuntur. Graecus Ubique contradietionem patitur a Iudaeis tam Ierosolymis quam Romae, ac in omni loco, de his volumus a te audire, cum sit magnus & insignis doctor, hanc interrogationem vide r. 3. & 4. vers. 6.

Vers. 23. Cum constitissent autem illi diem. Arabicus, Deceverunt autem ei diem, ad praedicandum eis Evangelium Testificans regnum Dei, testificans ejus januam apertam per Christi passionem.

Vers. 24. Quidam credebant his, quae dicebantur a Paulo adjuncti divina gratia, quidam vero non credebant obstinati reprobatione. Vers. 25. Ad hanc eorum proteviam, & malitiam obstinaram refutandam adducit unum verbum illustre, & insigne ex Isaia Paulus.

Act. 28. n. 26. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, & corde intelligant, & convertantur, & sanent eos.

Versiones.

SEXTA EXPOSITIO

Usque ad Vers. 31.

Vers. 26. Incrassatum est cor populi huius. Syriacus, Tenebris enim effusum est cor poribus

Arabic. corporibus, Arabicus obduratum est. Locus est ex Isaia 6. n. 9. & dicitur in nostra Vulgata. Incrassatum est, sumpta metaphorâ, quia sicut crassitudo circa cor congelata ipsum suffocat, & vitam corporalem extinguit, ita nequitia Iudaeorum tenebat eorum mentes depravatas, ut omnino vita spiritualis in eis esset extincta.

66. Et auribus corporalibus graviter audierunt, Aethiopicus: Surde audierunt, non suscipientes Divinum Verbum, sed grave illud reputantes, ac dicentes: Durus est hic sermo, Joan. 6. & oculos suos compresserunt. Arabicus: Ocluserunt. Aethiopicus: Caecutiverunt oculos mentales, ut intelligerent alta mysteria ne forte videant; hoc dicitur propter libertatem arbitrii, per quam poterant converti ad Deum, ut sanarentur, & ob suam nequitiam.

67. Vers. 28. Gentibus missum est hoc salutare. Syriacus: Missum esse hanc redemptionem Dei Arabicus: Salutem Dei; & cum dicitur salutare Dei, id est, salutem per Christum Jesum.

68. Vers. 26. Exierunt ab eo Iudaei, ait Lyran. tamquam indignati, quia praeponebat eis gentes, inter se quaestione. D. Chrysof. Disceptationem, nam quidam credebant Paulo, & alii non.

69. Vers. 30. Mansit autem in suo conducto, locato nempe hospicio, & suscipiebat indifferenter tam Iudaeos, quam Gentiles, qui veniebant ad eum.

70. Vers. 31. Docebat de regno Dei, Syriacus, Docebat palam de Domino nostro Iesu Christo; cum omni fiducia. Arabicus, Cum omni libertate; & etiam ex Graeco audita de quo quaest.

QUAESTIO XII.

Quare ad exprimendam obstinatam Iudaeorum obdurationem adducit Paulus citatam Isaiae locum.

71. Innumera sunt sacrae Scripturae loca allegantia Iudaeorum obstinationem, Paulus ex omnibus eligit hunc Isaiae: Incrassatum est cor populi, tamquam ferrum redactum, ac sterile ad suscipiendum Verbum dei. De Joanne Baptista dicitur, Marc. 1. n. 3. Vox clamantis in deserto, ut significaretur terra Iudaea a sancto Spiritu derelicta, & deserta ad suscipiendam Dei gratiam.

72. Cum multa turba Christum sequeretur, & Dominus vellet eos pascere, accedentes discipuli dicunt ad Dominum, desertus est locus, Marc. 6. n. 35. sic ait Theoph. Locum desertum populum Iudaeum dicit, quia ob incredulitatem suam desertus est ab Spiritu sancto, ecce relinquetur vobis domus vestra de sera, Matth. 23. n. 38.

73. Videntes non vident, quod perbelle observat D. Chrysof. Psalm. 50. & ait, Iudaei viderunt mortuos suscitatos, leprosos mundatos, demones fugatos, mare infractatum, Herodem turbatum; hac omnia videntes crucifixerunt Christum, Latro vero nihil eorum viderat, & considerabat spiritus repletum, crucifixum, aceto potatum, & felle, cum hac omnia videret, non est scandalizatus, sed Regem caelorum confessus est.

74. Ecce inter tot, & tanta mirabilia, quanta sit obstinata Iudaeorum malitia, ut demonum nequitia excedat, Spiritus immundus clamavit voce magna: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos; Scio quis sis sanctus Dei Luc. 4. n. 34. Ad quod locum praclare D. Ambrosius ait, Populus nequit, quem demones confitentur. Pejores, & crudeliores

se exhibuerunt contra Christum Iudaei, quam demones, quod prosequens citatus D. Ambrosius sic probat: Tentavit diabolus Christum dominum ut e pinaculo Templi mitteret se deorsum, Matth. 4. n. 6. at Iudaei suis manibus ex supercilio montis voluerunt Christum praecipitare, Luc. 4. n. 29. D. Ambrosius citato loco, Pejor Magistro discipulorum hereditas; ille verbo Dominum tentat; hi facti; ille dicit, mitte te deorsum; isti adorantur, ut mirant; Cum communiter nullus discipulus sit super Magistrum; isti suum Magistrum diabolum malitia, & nequitia superant.

Hoc magnum amicitiae, ac cognationis foedus inter diabolum, & Iudaeos recte nobis explicat Christus, Sanato muto; cum ille spiritus diabolicus exiret ab homine, & cum non invenisset requiem extra domum, a qua exierat, tunc dixit, revertar in domum meam, unde exivi, tunc vadit, & assumit alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Luc. 11. n. 26. quem locum de ingressu demoniorum in Synagogam venuste explicat D. Ambrosius ibi, & ait, Immundus spiritus in nationibus, & gentibus per fidem Christi requiem reperire non potuit, ideo ingressus est ad plebem Iudaeorum, quae forensis, & perfluatoria specie conspelta animo manet in interiore pallio; neque enim sacri fontis irriguo aut abluat, aut vestigebat ardorem, meritoque ad eam spiritus redibat, immundusque adducens secum septem spiritus nequiores se, itaque ut in nobis multiplicatur septiformis spiritus gratia, ita illis immundorum spirituum omnis cumulat in injuria.

Ad quam majorem miseriam potuit devenire Synagoga, quam quod firret propria domus, & requies diaboli; nam diabolus exiens ab homine non potuit invenire locum in gentibus, in quibus regnabat fides Christi, & ideo diabolo erat locus aridus, & inivius, revertitur in domum, quam multa hypocrisis, ut explicat D. Bernard. serm. de Assump. p. 2. & assumit septem spiritus, id est omnem multitudinem, Ruth. 4. n. 15. Iudaei 1. demonum, ut in nobis multiplicatur septiformis spiritus gratia, ita illis immundorum spirituum injuria.

QUAESTIO XIII.

Quare D. Paulus in tanta veneratione fuit Romae.

76. Ait praesens Textus vers. 30. Mansit biennio toto in suo conducto, scilicet, hospicio. Valde mirum! Missus est Paulus a Ierosolymis tamquam vincetus, & alligatus sub uno Centurione, ut eum perduceret Romam, ubi est habitus in tanta veneratione, quod non clauditur in carcere, sed ei permittitur habitare in hospicio, sive ut habet Syriaci: Conduxit sibi Paulus proprias ades, in quibus habitabat, & in hoc biennio varias Provincias peragravit, & venit in Hispaniam, sicut ipse scripserat ad Rom. 15. Per vos proficiam in Hispaniam, & postea iterum redit Romam, & ibi una Petro crucifixo ipse cum gladio mortem sustinuit anno a Christi morte 37. Neronis 13. mense Junii 29.

77. In hoc autem biennio, quod stetit Romae praedicans cum omni fiducia. Arabicus, Libertate Graecus: Cum omni audacia, ac generositate, sine prohibitione Imperatoris scilicet, quia ut scribit Eusebius lib. 2. Histor. cap. 22. Neronem suo primo imperii quinquennio fuisse lenem, & facilem, & valde